Herrn Dr. Wilh. Dilthey
mit bergl. Gruß und Dank
Dass er einmal schreibe,

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

A D. XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXVII. USQUE AD D. XV. M. MARTII A. MDCCCLXVIII.

HABENDARUM.

Praemissa sunt Hermanni Sauppii Tulliana.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

VIL. FR. KAESTNER.

UNIVERSITY OF ILLINOIS LIBRARY

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
GEORGIUS WAITZ D.
CUM SENATU.

Quae ante hos decem anuos indici scholarum praefatus sum, cum intelligentibus et eruditis harum rerum existimatoribus probata esse viderem, hac praefandi opportunitate denuo ita utendum esse putavi, ut locos aliquot M. Tullii, qui corrupti aliquo modo esse viderentur, in integritatem vindicare studerem. Ac primum quidem multos ut in aliorum scriptorum veterum et graecorum et latinorum sic in Ciceronis libris tractandis etiamnunc eo errare video, quod in codicum, qui adhuc superstites sunt, consensu acquiescendum esse contendunt nec vitia saepe manifestissima etiam antiquissimis codicibus vetustiora esse cogitant. Cuius rei exempla luculenta permulta una praebet oratio in Pisonem habita. Quae quot glossematis, quae nunc in codicibus fere omnibus habentur, taurinensis auctoritate palimpsesti seculo IV et vaticani seculo VII scriptorum nuper rectissime liberata sit, C. Halmii tabula ostendit p. 1101 proposita, sed cum in vaticano quoque exstare quaedam vel taurinensis testimonio efficiatur (cf. §. 33 *profectionis*, 34 *semper*, 35 *plebis*, 48 *partim mutationes*) vel Arusianus Messius doceat (§. 53), tum ne taurinensem quidem prorsus liberum neque glossematis neque aliis vitiis fuisse §. 19 *cum Gabinio collega tuo* (cf. §. 27 ubi A. Muretus nomen, quod est *Gabinius*, delendum esse vidit) et §. 66 *posterius*, ut haec afferam, perspicue ostendunt. Ac cum E. Wundero consentio §. 53 non tantum cum Messio vocabula *foedavit adventus tuus* delenda et *ingressus es* pro eo, quod in codd. est *venisti*, scribendum esse, sed cum eidem codd. omnes habeant *o familiae non dicam Calpurniae, sed Calventiae*, *neque huius urbis*, *sed Placentini municipii*, *neque paterni generis*, *sed bracatae cognationis dedecus*, Messio non minus credendum esse Ciceronis haec tantum fuisse: *o familiae non dicam Calpurniae et huius urbis*, *sed Placentini municipi et bracatae cognationis dedecus*. Nam quomodo eandem familiam Calpurniam a paterno genere differre dicamus? Sed cum quis familiae Pisonis maternae Calventiae nomen fuisse meminisset, quod vel e §. 14 cognoverat vel ex prima parte orationis, in qua avum maternum eiusque familiam commemoratam fuisse Asconii commentarii (cf. scholiast. orell. 2 p. 4 sq.) docent, hoc nomen addendum esse existimavit eoque effecit, ut reliqua vel mutandi vel addendi necessitas quaedam existeret. Contra in eis, quae Messius habet, aptissime ut urbi Placentia, sic familiae Calpurniae bracata cognatio cum chiasmo membrorum opponitur. Etiam §. 26 eadem videtur ratio esse. Quae ibi leguntur: *At tu illo ipso*

P 24667

tempore apud socrum tuam prope a meis aedibus, cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras, sedebas non exstinctor, sed auctor incendii et ardentes faces furiis clodianis paene ipse consul ministrabas, usque ad v. *sedebas* Asconius exscripsit (p. 10 O.), verbis *prope a meis aedibus* non additis. Rectissime: nam et senatui, in quo Cicero verba facit, ubi domus illa sita esset, notissimum erat et propinquam eam Ciceronis domui fuisse eis, quae sequuntur, satis indicatur, Ciceronem vero, si illa verba addidisset, deinde fere sic scripturum fuisse existimo: *quibus exhauriendis domum illius patefeceras.* Neque id obliviscendum est, nos hoc loco praesidio codd. taurinensis et vaticani destitutos esse. Socrum vero illam huius Pisonis, quem Ciceronis oratio lacerat, Fenestella auctore videri uxorem Rutilii Atilii (fort. *Publii Atilii*) fuisse moneo, ne quem Drumanni dubitatio in errorem inducat (hist. aequal. Cic. 1 p. 63): Asconius enim (p. 5 O.) Calventium Pisonis patris socerum a Pisonis filii („contra quem haec oratio est"), Publio Atilio, rectissime distinxit. — E codice vaticano, cum integer esset, excerpta ea esse, quae Ios. Klein anno superiore in codice cusano reperta edidit (Ueber eine Handschrift des Nicolaus von Cusa p. 49 sqq.), in diurnis liter. gotting. a. 1866 p. 1581 sqq. demonstravi. Quodsi quaerimus, numquid ercerpta illa ad §§. 1—32 et 74 sqq., quae in cod. vaticano non iam exstant, emendandas conferant, primum de §. 22 dicendum est. De Pisone ibi Cicero haec dicit: *Hic autem non tam concinnus helluo nec tam musicus iacebat in suorum Graecorum foetore atque vino. Quod quidem istius in illis reipublicae fluctibus quasi aliquod Lapitharum aut Centaurorum convivium ferebatur.* Excerpta cusana (p. 51 K.) habent: *Hic autem in suorum grecorum fetore et caeno quasi aliquod lathitarum aut centaurorum convivium esset ferebatur.* More igitur suo Ciceronis verba, qui excerpsit, in brevius contraxit, parum ille curans, qualis ita sententia existeret. Duo tamen valde memorabilia sunt. Ac primum quidem quod dedit *et caeno* et in codice ipso scriptum fuisse et Ciceroni reddendum esse existimo: haec enim vocabula *in foetore et caeno* aptissime coniungi apparet eis comparatis, quae Cicero de sordibus aedium Pisonis §. 13 et 67 narrat, cum in *foetore atque vino Graecorum iacere* parum recte dici videatur et glossema unde ortum sit collata §. 13 facile intelligamus. Deinde vero *aut Centaurorum*, quae verba Wunderus deleri voluit (Var. lect. cod. Erf. p. LII), etiam in vaticano fuisse excerpta testantur, quod quamquam ea genuina esse nemini persuadebit, qui ea, quae supra de glossematis codicis vaticani diximus, consideraverit, at id tamen efficit, ut, nisi causae gravissimae de earum origine tulliana dubitare nos iubeant, de eis eiiciendis cogitari non possit. Quod vero *aut* ferri non potest, sed aut *atque* aut *et* scribendum est, id parum valet, cum in hac ipsa oratione et §. 31 *hostes ac proditores* Halmius recte scripsisse videatur pro eo, quod in codd. est *h. aut prod.*, et §. 50 *iniussu populi romani aut senatus* cod. taurinensis, *ac senatus* vaticanus habeant. — Ex §. 96 haec excerpta sunt: *Quis te aditu, quis ullo honore, quis denique communi salutatione dignum putat? omnes memoriam consolatus tui, faciem denique ac nomen detestantur, omnes te oderunt, tibi pestem exornant, te execrantur. cives romani, qui in his locis negotiantur, te unum suum sotiorumque depeculatorem, vexa-*

torem, praedonem, hostem venisse senserunt. In his *putat* recte scriptum videtur, cum codd. reliqui omnes *putet* habeant: neque enim Cicero hic quid fieri possit suspicatur, sed omnium hominum hoc re vera de Pisone iudicium esse affirmat, id quod etiam proxima ostendunt. Deinde quod *a republica* in codd. reliquis inter vv. *nomen* et *detestantur* additur, id Catil. 1 §. 27 collata: *nunc ut a me, patres conscripti, quandam prope iustam patriae querimoniam detester ac deprecer.* iure tuebimur et ab eo, qui illa excerpsit, quia parum intelligeret, omissa esse iudicabimus, nam ita demum recte quod sequitur *te exsecrantur* addi potuit. Sed gravius est, quod in excerptis legimus: *te unum suum sociorumque depeculatorem,* cum in codd. reliquis haec inveniantur: *te unum solum suum depeculatorem.* Nam quamquam vv. *unus* et *solus* aliquando coniuncta leguntur (cf. pro Sest. §. 43. 130), *sociorumque* tamen ita comparatum est, ut homo ille satis imperitus addidisse non videatur, nec dubitari potest, quin recte socii nominari potuerint, quos Cicero antea enumeravit: cf. Aem. Kuhn de constitutione urbana et civili imp. romani 2 p. 14 sq. Itaque oratorem ipsum scripsisse puto: *te unum suum sociorumque depeculatorem.* — Porro §. 97 in excerptis est *quis te est miserior, quis damnatior, quis impudentior,* cum codd. habeant: *quis te miserior, quis te damnatior.* Ac *quis impudentior* ferri non posse apparet, sed quod *est* additur, deinde *te* omissum est, id lectione vulgata numerosius esse existimo. — Denique verba orationis extrema sic exscripta sunt: *fruar vero tua et indignitate et timiditate nec te minus libenter videbo metuentem, ne reus fias, quam reum, nec minus letabor, cum te semper sordidum, quam si paulisper sordidatum viderim.* In his id gravissimum est, quod *tua et indignitate et timiditate* scribitur, cum codd. reliqui *tua indignitate* tantum habeant, nam ea, quae sequuntur, duo membra requirere videntur, ut duo vocabula praecedant, atque addita etiam ante v. *indignitate* altera particula *et* testari videtur per errorem librarii similes vocabulorum terminationes confundentis factum esse, ut primum vocabula *et timiditate* omitterentur, deinde particula *et,* quae non iam stare posset, deleretur. — Quod hic suspicamur evenisse, saepissime factum esse quis est qui nesciat? Ac quanquam haud raro excidisse quaedam certo demonstrari potest, verba ipsa, quae exciderint, indicari non possunt, saepe tamen etiam quid addendum esset coniectura recte inventum esse codd. pleniores docuerunt postea usurpati. Etiam apud Ciceronem loci non pauci reperiuntur, quibus ea medicina videatur adhibenda esse. Sic in or. pro M. Caelio §. 4 haec in codd. omnibus exstant: *nam quod de pietate dixistis, est ista quidem nostra existimatio, sed iudicium certe parentis.* Hoc ab oratore dici non potuisse C. Halmius intellexit, nam quomodo oratoris esse existimatio id potest, quod adversarii dixerunt? Recte Halmius iudicia trium diversarum partium discerni vidit, existimationem adversariorum, iudicium parentium, opinionem patronorum. Sed quod a Cicerone scriptum esse existimat: *est ista quidem vestra existimatio,* id parum convenit eis, quae proxime sequuntur: *Quid nos opinemur, audietis ex iuratis, quid parentes sentiant, lacrimae* etc. Nam ut verbis: *sed iudicium certe parentis* respondent haec: *quid parentes sentiant,* sic etiam priora *Quid nos opinemur* habuisse, quibus explicandis

inservirent, aequabilitas membrorum verisimile reddit. Quare Ciceronem scripsisse coniicio: *est ista quidem [vestra, alia] nostra existimatio.* Quam coniecturam in Philologo aliquando propositam hic repetendam esse putavi, quod qui nuper orationes ediderunt eam non videntur novisse. — Deinde or. pro Fonteio §. 20 codd. haec habent: *video, iudices, esse crimen et genere ipso magnum*; — *et invidiam; vel maxime enim inimici hanc rem sermonibus divulgare* (recte G. Pluygers mnem. 7 p. 197 *divulgari*) *voluerunt.* Quae cum intelligi non possent, I. A. Ernesti *invidia* scripsit, ut penderet ex eo, quod praecedit, *magnum.* Hoc vero obscurius dictum esse recte idem G. Pluygers iudicavit, quam ut oratori in iudicio dicenti tribui facile posset. Addo particulam *vel* deinde parum apte additam videri adverbio *maxime.* Ipse igitur legendum esse existimat: *et invidia vel maximum; maxime enim* —. Sed cum cod. vaticani vetustissimi testimonio *invidiam* satis confirmari existimem, oratorem potius hoc scripsisse coniicio: *et invidiam vel maximam; maxime enim* —. Nam quod sic membra non prorsus aequabilia existunt: *crimen et genere ipso magnum — et invidiam vel maximam,* id in bimembri enuntiati conformatione saepissime et a Graecis et a Latinis admitti satis notum est. — Porro l. 1. de inventione §. 6 haec leguntur: *Officium autem eius facultatis videtur esse dicere apposite ad persuasionem; finis persuadere dictione. Inter officium et finem hoc interest, quod in officio, quid fieri, in fine, quid officio conveniat, considcratur.* In quibus verbis nemo quisquam eorum haesit, quos his libris explicandis in scholis rhetorum studiosissime aliquando lectitatis operam dedisse videmus, ac tamen quomodo haec ferri possint: *quid officio conveniat*, non intelligo. Quare quod ante hos quadraginta fere annos Lipsiae conieci Ciceronem scripsisse, id etiamnunc mihi verum esse videtur: *quid effici officio conveniat.* Nuper R. Enger in Philologi vol. 17 in similem coniecturam incidit: *quid effici conveniat.* — Similiter etiam aliorum scriptorum locos nonnullos corrigendos esse indicabo. Primum auctorem dialogi, qui est de oratoribus, c. 5 §. 4 ante verba *vel ad dignitatem amplius* addidisse *vel ad voluptatem dulcius*, ea quae c. 6 ab initio sequuntur luculentissime ostendunt. Ac quanquam iam Ioannes Schulting *vel ad voluptatem honestius* excidisse dixerat, tamen eam coniecturam editores plerique non commemoraverunt, ut I. Classen (Eos 1 p. 10), qui *vel ad voluptatem iucundius* (s. *suavius*) addendum esse existimat, Schultingii inventum ne novisse quidem videatur. Utrum *dulcius* an *iucundius* sive *suavius* auctor dialogi scripserit, certo iudicari non potest, ego *dulcius* eum praetulisse putabam, cum ante hos octo annos proseminarii philologici sodalibus haec verba excidisse ostenderem, quia c. 6 §. 1 eo ipso vocabulo usus est. Eodem modo c. 31 §. 4 videtur a librariis vel, ut rectius dicam, a scriptore eius codicis, cuius apographum Enoch Asculanus in Italiam detulit, peccatum esse: *In his artibus exercitationibusque versatus orator*, *sive apud infestos sive apud cupidos, sive apud invidentes, sive apud tristes sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit venas animorum.* Et ei, qui primum commemorantur, *infesti et cupidi*, et qui postremi sunt, *tristes et timentes*, paria quaedam generum, quae auditorum esse soleant, inter se oppositorum enumerari ostendunt. Sequi-

tur, ut ne *invidentes* quidem solos commemoratos esse existimemus, ac quinam *invidentibus* oppositi fuerint, auctor dialogi ipse c. 34 §. 5 docet: *sed auditorium semper plenum, semper novum, ex invidis et faventibus:* infesti enim et cupidi magis rei ratione, quem quis defendit, habita dicuntur, invidentes vero et faventes eius, qui verba facit. Sed aliud addendum est. *Tristes* enim et *timentes* sic inter se oppositi sunt, ut tristitia ad mala praesentia, ad futura timor pertineat, de qua re sufficit explicationis tullianae admonuisse, quae est in tusculanis. Sed idem ille (3 §. 25) affectus duo etiam bonorum opinione vel praesentium vel imminentium excitari docet. Num tu igitur putas oratorem in tristibus modo aut timentibus verba facere? An saepe necessarium est etiam victoria laetorum et exsultantium animis frena iniicere, inanibus spei lenociniis nimis indulgentium confidentiam compescere? Quare cum verisimile sit etiam haec duo genera auditorum commemorata esse, coniicio haec fere scripta fuisse: *sive apud invidentes [sive apud faventes, sive apud exsultantes sive apud confidentes,] sive apud tristes sive apud timentes dicendum habuerit.* Cum igitur par generum inter se oppositorum primum ad eum, quem defendit aut accusat orator, alterum ad oratorem pertineat, tertium et quartum ad eos, qui audiunt, ipsos eorumque statum referenda sunt. Etiam eo loco, quem modo afferebam, c. 34 §. 5 idem accidisse partim iam alii viderunt. De institutione enim eius, qui antiquis temporibus orator fieri vellet, haec dicuntur: *ita nec praeceptor deerat, optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret, nec adversarii et aemuli ferro, non rudibus dimicantes, sed auditorium semper plenum, semper novum ex invidis et faventibus, ut nec bene dicta dissimularentur:* nam sic in codice Enochii scriptum exstitisse ac scriptorem farnesiani per errorem *nec breviter dicta* dedisse codd. lugdunensis et vaticani 1862, quem cum editione C. Halmii Ulricus Koehler, vir amicissimus, accuratissime in meum usum contulit, consensus docet. Postrema ferri non posse Rud. Agricola et P. Pithoeus viderant, qui vel *nec male nec bene* vel *nec bene nec male* scribi voluerunt. Sed id potissimum dicendum erat, quo et invidi et faventes oratori profuissent: invidi vero prosunt accurate notatis eis, quae male dicta sunt, faventes laudando ea, quae bene dicta sunt. Nisi illi vituperant, vitiosa orator non studet emendare, nisi hi laudant, non inclarescit neque magnus habetur. Quare non recte bene dicta ab invidis dissimulari dicuntur ac videtur potius fere sic auctor dialogi scripsisse: *ut nec bene [dicta ignorarentur nec male] dicta dissimularentur.* — Q. Curtii locus quidam admodum idoneus est ad demonstrandum, quam callide saepe eiusmodi vitia antiquissimo tempore orta librarii postea perversa solertia tegere studuerint. 10. 2, 8 Alexandrum narrat vere a. 324 veteranos in Europam remisisse his verbis: *Alexander senioribus militum in patriam remissis tredecim milia peditum et duo milia equitum, quae in Asia retineret, eligi iussit, existimans, modico exercitu continere posse Asiam, quia pluribus locis praesidia disposuisset: nuperque conditas urbes, quas colonis replesset, res novare cupientibus obstare credebat.* Sic Zumptius Fossius alii codices interpolatos secuti scripserunt, sed vv. *obstare credebat* in codd., qui ab ista interpolatorum labe liberi sunt, lugdunensi, bernensi, floren-

tino A, non habentur. Quare non dubito, quin Curtius sic scripserit: *nuperque conditas urbes colonis replesset res novare cupi[entes coerc]entibus* eaque verba arctissime cum prioribus coniungi voluerit. Haud difficile est intellectu, quomodo factum sit, ut librarius paulo doctior, qui *cupientibus* intelligi non posse videret, ad sententiam aliquo modo restituendam *quas* et *obstare credebat* adderet. — Similiter Iustini locum praefat. §. 5 et corruptum esse et emendari posse existimo. Verba haec sunt: *Quod ad te non tam cognoscendi magis quam emendandi causa transmisi, simul ut et otii mei, cuius et Cato reddendam operam putat, apud te ratio constaret.* Sic Dübnerus, I. Ieepius, alii. Sed codices optimi aliud a Iustino scriptum fuisse perspicue demonstrant. Nam in B est: *putat in te ratio*, in AGM *putat te ratio*, in C *putat ita.* Quare L. Drewes, cum seminarii regii philologici sodalis esset, Iustinum feliciter suspicatus est scripsisse: *putat, inter alios constaret*, quam coniecturam ita probo, ut Iustino haec reddenda esse existimem: *putat, inte[r alios] ratio constaret.* Librarius enim, cum oculis a literis *ralio* prioribus ad easdem fere, quae in v. *ratio* exstabant, aberrasset, medias literas *ralios* prorsus omisit; quibus omissis cum verba sensu carerent, alii alio modo interpolando loco mederi studuerunt. Sententia vero haec est: se opus suum eius nomine, cui haec scribit, sive magister ille sive imperator fuit, inscriptum edidisse eique misisse, ut ille emendaret, neve reliquis desidiae et languori se dedidisse videretur. Nam iudicium eorum se non curare, persuasum enim habere a posteris industriam suam agnitum et probatum iri. — Saepius etiam talia reperiuntur in libris discentium fere usui destinatis ideoque in magna rerum, quae tractantur, ieiunitate parum accurate descriptis. Ita apud Sulpitium Victorem, cuius institutiones oratorias praeclara diligentia et arte C. Halmius recensuit et in rhetoribus latinis minoribus p. 312 sqq. edidit, haud paucos locos sic corrigendos esse mihi videor intelligere. Primum p. 316, 13 haec Halmius edidit: *Pathetica est causa, cum personae eius quae loquitur repraesentandus adfectus est. Si necesse erit vel indignatione aliqua atque ira vel dolore aliquo, vel ut plerumque accidit luctu excitatos excire, non erit otiosum, ut commota sit et excitans omnis oratio, perinde atque ipsa res exiget.* Sed in codice spirensi, ex quo editio basileensis expressa est, scriptum fuit: *Si sese debebit vel indignatione* — —. Quare videtur scribendum esse: *Si sese debebit vel indignatione* — — *luctu excitatam ex[hibere, hoc s]cire non erit otiosum, ut commota sit* — —. Cf. p. 316, 27: *Haec scire non erit otiosum, quia perinde iam a principiis actio esse debebit, prout modus cuiusque causae postularit.* 316, 7: *multum autem intererit haec scire, ut perinde conformetur oratio.* — p. 320, 6 de inventione haec dicuntur: *Iam consilii et iudicii partes erunt, ut de inventis iudicemus, si qua non apta incurrerint, iis autem, quae probaverimus, utiliter et congruenter utamur.* Halmius *abiudicemus* vel *abdicemus* legi vult, sed aliud docet Aurelii Augustini locus de rhetor. p. 137 H.: *Oratoris officium est — exinde iudicare de inventis, repudiare quae parum commode occurrerint, tum iis, quae iudicio examinarit, dare ordinem certum.* Apparet igitur post verbum *iudicemus* excidisse apud Sulpitium *repudiemus.* Ac quanquam suo quodam

iure L. Spengelius mus. rhen. 18 p. 525 in asyndeto, quod est in Augustini verbis, haesit, tamen Sulpitii loco uti non debebat, ut de veritate verbi *repudiare* dubitandum esse apud Augustinum nobis persuaderet, sed sententia duce apud Sulpitium non tantum *repudiemus*, sed etiam plura excidisse intelligere poterat. Nam si Ciceronis orator. §. 47 sqq. comparamus (*nec vero utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet et seliget*) dubitari vix potest, quin Sulpitius tale quid scripserit: *ut de inventis iudicemus [, apta seligamus, repudiemus], si qua non apta incurrerint.* Augustinus vero, qui codice Sulpitii uteretur, in quo vocabula *apta seligamus* excidissent, utrum parum eleganter asyndeton admisisse an *repudiareque quae* scripsisse existimandus sit, non libet quaerere. — p. 324, 22 Sulpitius haec habet: *Argumentatio, ut diximus, in duas partes dividitur, ut sit confirmatio et reprehensio. Confirmatio est eorum argumentorum atque earum quaestionum, quae ex nostra parte sunt, quae Graeci* προηγούμενα *appellant. Firmabimus autem* —. Hic facile est intellectu post v. *confirmatio* excidisse *expositio.* Plura exciderunt post *appellant.* Deest enim *reprehensionis* definitio, quae qualis fuerit Ciceronis verba de invent. 1 §. 78 ostendunt: *Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur aut infirmatur aut elevatur.* — Etiam Chirii Fortunatiani verba, quibus de confirmatione et reprehensione exponit, artis rhetoricae 2 §. 12 p. 108, 27 H. eodem modo corrupta sunt. Nam cum in codd. legatur omnibus: *sed et ipsam argumentationem nostrorum argumentorum, quae* προηγούμενα *dicuntur, et reprehensionem eorum, quae ab adversario proponuntur, quae* ἀναγκαῖα *Graeci vocant.* Halmius cum Capperonerio pro eo, quod est *argumentationem,* scripsit *confirmationem,* sed Sulpitii loco collato quis dubitaverit, quin Chirius potius scripserit: *sed et ipsam argumentationem [dividunt quidam in confirmationem] nostrorum —?* Sed ut ad Ciceronem redeam, ad idem vitiorum genus pertinet, quod oratoris §. 141 *quis tandem id iustus harum rerum existumator reprehendet* scribendum esse putavi, cum in utroque codicum genere *harum* non fuisse abrincensis et einsidlensis consensus doceat. Quam coniecturam quanquam sententiae optime convenire nemo facile negaverit eamque Iahnius, Kayserus, Pideritius comprobaverunt, tamen, ut non iam pro vera habeam, cum alii Ciceronis loci faciunt, quibus *rerum existimator* vel *aestimator* non addito pronomine similiter aliquis esse dicitur, pro Marc. §. 15: *ex quo nemo iam erit tam iniustus existimator rerum.* Paradox. 6 §. 51: *Etenim si isti eallidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant,* tum consuetudo illa Romanorum, qua saepissime genitivum *rerum* ita addunt, ut nobis prorsus superfluus esse videatur: cf. Naegelsbach. art. lat. scrib. p. 58 sq. Quare etiam de veritate eius coniecturae dubito, qua O. Iahnius Bruti §. 14 scribendum esse putavit: *quo iste omnem rerum nostrarum memoriam breviter et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est.* Quamquam enim §. 19 Atticus ipse: *eisque,* inquit, *nosmet ipsi ad veterum rerum nostrarum memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus,* quae verba Iahnius videtur secutus esse, cum recte eo loco *naturalium,* quod in codd. est, non cum Ellendtio aliisque omisisset, sed ex vetere qua-

dam hominis docti coniectura *nostrarum* scripsisset, et quanquam collatis inter se eis, quae de Attici libro annali vel Cicero ipse orator. §. 120 et Bruti §. 44 vel Cornelius Nepos Attici c. 18 tradiderunt, rerum ab aliis populis imperiosis regibusque illustribus gestarum memoriam non prorsus illam quidem omissam, sed ita tamen rebus romanis additam fuisse concedendum est, ut has ab Attico, si quis breviter, quid eo comprehendisset, indicare vellet, tractatas esse recte diceret, tamen *nostrarum* eo loco addi non videtur necessarium esse: nam cum homo romanus *rerum memoriam* dicat, res septingentis annis a populo romano gestas intelligendas esse satis per se intelligitur. Fortasse vero alio loco Bruti medicinam afferre simili ratione potero. Nam quae §. 207 in codd. exstant: *Horum* (de Antonio et Crasso sermo est) *qui neutrum habebat, confugiebat ad Philippum fere aut ad Caesarem: Cotta et Sulpicius expetebantur*, ea homines docti dudum intellexerunt ferri non posse, neque enim, quod in verbis illis inesset, Cotta et Sulpicius dici possunt Antonio, Crasso, Philippo, Caesari antepositi esse, sed per gradus quosdam Cicero descendit ab oratoribus maxime expetitis et summa eloquentiae laude illustratis ad minus nobiles. Quare Lambinus inter *Sulpicius* et *expetebantur* voluit *secundum Philippum et Caesarem* addi, Kayserus ante v. *Cotta* excidisse suspicatur *a nonnullis*, Pideritius eodem loco addidit *tum*. Sed hoc postremum ferri non potest, neque enim hic de temporis diversitate Cicero cogitat, ut Antonio et Crasso prius, postea Sulpicio et Cottae primae in eloquentia delatae esse dicantur, sed uno eodemque tempore ab sex illis oratoribus causas maximas actas esse affirmat, praeter illos locum nemini fuisse. Quare mihi videtur Cicero scripsisse: *horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Philippum fere aut ad Caesarem: [parum] Cotta et Sulpicius expetebantur*. Nam quanquam Cicero inde a §. 182 ac maxime §. 201 et proximis Cottam et Sulpicium maximis laudibus extulit, tamen a Sulpicio leporem Crassi, a Cotta vim Antonii abfuisse addit (§. 203) et §. 205. 230. 301 aliis utrumque non nimis expetitum esse significare videtur. Etiam de oratore 2 §. 45 vocabulum simili modo excidisse suspicor. Antonius ait: *Positis enim eis rebus, quas Crassus in illius orationis suae, quam contra collegam censor habuit, principio dixit: „Quae natura aut fortuna darentur hominibus, in eis rebus se vinci posse animo aequo pati; quae ipsi sibi homines parare possunt, in eis rebus se pati non posse vinci", qui laudabit quempiam, intelliget exponenda sibi esse fortunae bona.* In his verbis post *quempiam* Ciceronem *primum* addidisse existimandum esse facile concedet, qui eum, cum quae essent fortunae bona dixisset, deinde §. 46 sic pergere consideraverit: *Deinde* (sc. exponendum sibi esse intelliget), *quid sapienter is, quem laudet, quid liberaliter, — quid denique cum aliqua virtute aut fecerit aut tulerit.* In quo quidem ordine constituendo Ciceronem praecepta antiquissima eorum, qui de arte scripserunt, secutum esse non est quod moneam: cf. Anaximenis ars §. 35 cum L. Spengelii commentariis p. 230 sqq. — Ad alium locum venio similiter, si quid video, emendandum. Oratoris §. 15 et 16 Cicero, quam multa et quanta eloquentia philosophiae debeat, breviter exponit ac postquam de eis dixit, quae ars dialectica oratori suppeditat, de physicis et

ethicis haec addit: *Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis suppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus, sine multa earum ipsarum rerum disciplina aud dici aut intelligi posse?* In quibus verbis cum antea nemo haesisset, L. Kayser nuper ante vv. *sine multa* particulam *non* addidit. Quod sermonis latini legibus convenire nego ac sic certe dicendum fuisse existimo: *Quid dicam de natura rerum — sine multa earum ipsarum rerum disciplina neque dici neque intelligi posse?* Quanquam ne hoc quidem ferri facile posset, cum *intelligi* non addito accusativo subiecti, qui vocatur, dici non posse videretur. Nam *quid* illud, quod ab initio periodi positum est, cum priores cum infinitivis *dici* et *intelligi* coniungi voluissent, Kayserus potius ex eo, quod proxime sequitur, v. *dicam* pendere voluit, ut notissimam illam formulam *quid dicam* —, qua rem aliquam tam gravem, tam perspicuam esse Romani significant, ut de ea aut accuratius explicari non opus esse aut, quibus id verbis aptissime fiat, haud facile inveniri posse intelligamus (nam formulas praeteritionis et amplificationis similes illas distinguendas esse Maur. Seyffert schol. latin. 1 p. 46 sqq. bene docuit), etiam hoc loco agnosceret. Atque eandem sententiam Pideritius secutus est, qui quam coniecturam in symbolis eois (1 p. 405) commendaverat, nunc in verba Ciceronis ipsa recepit: *Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis suppeditat copiam? Nam de vita, de officiis, de virtute, de moribus sine multa earum rerum disciplina nihil aut dici aut intelligi potest.* Sed quanquam *nihil aut - aut* sic dici posse exemplis a F. Handio Tursell. 1 p. 534 collectis comprobatur, tamen quam parum verisimile sit tribus locis diversis aut omissum aliquid in codicibus esse aut mutatum quivis facile intelligit. Quod vero in formulae illius creberrimo usu Kayserus et Pideritius *quid* a v. *dicam* divelli non posse existimarunt, recte videntur fecisse: nam quanquam satis diu inter legendum quaesivi, similem locum ullum reperire non potui. Quare alio modo idem quod illi voluerunt tentandum est. Ac mihi quidem facillime ita locus videtur sanari, ut *Ecquid* Ciceronem pro eo, quod in codicibus est, *quid,* scripsisse existimemus. Nam illa syllaba, quae est *cc*, cum *distinguere* praecedat, facillime excidere poterat. Obiter moneo eodem loco videri non *orationis*, sed *oratori* cum I. A. Ernestio scribendum esse: nam in codice einsidlensi, quem ex codicis laudensis lectu difficillimi apographo eo ipso, quod Gasp. Barzizae iussu factum erat, Albertus de Bonstetten descripsisse videtur (cf. I. Casp. Orelli ed. 1830 praefat. p. CXIII), *orois* scriptum esse, sed litera postrema obelo transfixa, meis ipse oculis vidi, ut scriptor compendio male intellecto primum *orationis* sibi legisse visus esse, deinde vero apographo accuratius inspecto *oratori* agnovisse existimandus sit. Nam in apographo illo compendia multa fuisse, quae quid significarent scriptor codicis einsidlensis dubitaret, inde concludimus, quod locis haud paucis non uno modo ea intelligi posse ipse adnotavit. Sed etiam aliud vitium, quod eodem modo tolli possit, in oratoris loco, quem tractamus, haerere suspicor. Nam Cicero omni illo loco id agit, ut ostendat, quomodo factum sit, ut oratores philosophiam, ex cuius studio maxima ad ipsos utilitas redundare posset, spernerent atque defugerent. Cum enim philosophi non curarent nisi quid dicerent, quo-

modo dicerent parum illi curiosi, oratores, qui in contionis et iudiciorum fluctibus sibi concertandum animosque auditorum movendos atque flectendos arte dicendi esse viderent, orationem verbis ac sententiis ornatam magis, quam varietate rerum copiosam sibi necessariam esse existimasse. Verum Cicero eloquentiam popularem cum eleganti doctrina coniungendam esse identidem monet. Postquam igitur eo loco, quem tractamus, dixit, quot et quantas res orator ex philosophiae fonte uberrimo haurire posset, non potest simpliciter pergere: *Ad has tot tantasque res adhibenda sunt ornamenta innumerabilia, quae sola tum quidem tradebantur ab eis, qui dicendi numerabantur magistri*, sed particula aliqua significandum erat rerum varietatem a philosophia suppeditatarum per se illam quidem non sufficere, sed arte dicendi populari ornandam esse. Quare scripsisse Ciceronem coniicio: *Sed ad has* —, coll. §. 14: *non ut in ea* (philosophia) *tamen omnia sint, sed ut sic adiuvet, ut palaestra histrionem.* Ita demum recte deinde adduntur, quae dicit: *Quo fit, ut veram illam et absolutam eloquentiam nemo consequatur, quod alia intelligendi, alia dicendi disciplina est et ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrina quaeritur.* Id vero vocabulum, quod praecedit, *posse*, effecit, ut similis particula *sed* excideret, quod, si per compendium scripta erat (*s;* vel $\overline{s}$: cf. G. Freundius ad Cic. or. pro Milon. p. VIII et 8), etiam facilius evenire poterat. — Eandem particulam etiam oratoris §. 36 propter similitudinem eius, quod praecedit, vocabuli *sint* excidisse statuo: postquam enim difficillimum esse dixit formam optimi exponere, cum in suo quodque genere praestet et alii aliis rebus delectentur, sic pergere debuisse videtur: *Sed hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus*, quanquam in codd. illa particula omissa est. — Sed redeo ad locum oratoris priorem. Nam §. 16, ubi exponit, cur orator dialectica disciplina carere non possit, in codd. haec leguntur: *Nec vero sine philosophorum disciplina — possumus — neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere.* Hic verba *cernere* et *distinguere* Cicero sic accommodavit utrumque eis rebus, ad quas pertinent, ut *videre* mihi ferri non posse videatur, sed etiam hoc loco verbum quaerendum esse intelligam, quod vocabulo, quod est *repugnantia*, conveniat. Ciceronem igitur scripsisse autumo: *repugnantia vitare.* — Transeo ad alia. De Republ. 1 §. 1 in codice haec sunt: *Omitto innumerabiles viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt et qui sunt procul ab aetatis huius memoria, commemorare eos desino, ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur.* Cum verba postrema ostenderent Ciceronem viros, qui virtutis quadam vi occulta ducti de republica cum summis suis periculis et laboribus bene merere, quam voluptatis otiique blandimentis obsequi maluissent, enumerare desiisse, quia nimis prope a suo tempore abessent, A. Maius post *sunt* addidit *haut*, F. Steinacker *non*, quorum illud nuper C. Halmius secutus est. Sed cum G. du Rieu teste (in schedis vaticanis p. 53) prima manus, cum in eo esset, ut *quia* scriberet, ex *A* fecerit *S*, videtur potius in eo codice, quem librarius ille descripsit, *et quia hau sunt* fuisse, oculus vero eius primum a priore litera *A* ad alteram, quae est in *hau*, deinde vero a priore litera *U* ad alteram in v. *sunt* aberrasse. Ita cum Halmius *quia* scribendum esse

rectissime viderit, id nanciscimur, ut uno tantum loco codicis scriptura mutanda sit. *hau* vero post ea, quae nuper homines doctissimi de hac particulae forma explicaverunt, a Cicerone alienum non videbitur. — Cicero de invent. 1 §. 83 complexionis aut conversione aut alterius partis infirmatione reprehendendae hoc exemplum affert ex poeta, ut videtur, tragico:

nam si veretur, quid eum accusem, qui est probus?
sin inverecundum animi ingenium possidet,
quid eum accusem, qui id parvi auditu existimet?

Sumsit hoc exemplum ex libri ad Herennium 2 §. 42, ubi hic versus praecedit:

qua causa accusem hunc, tum id exputando evolvere?

Atque ex eis, quae ibi explicantur, aliquem secum ipsum colloquentem in scaenam productum esse apparet, qui cum sibi non incommoda ratione ostendisse videretur, quare non accusaret aliquem, deinde mutato consilio acriter eundem illum hominem increparet. Recte vero Victorinus ad h. l. (rhetor. lat. p. 253, 19 H.): *Accusatio autem hic non publica est, sed privata obiurgatio.* Quare primum de emendando primo versu cogitandum est. Cui miror O. Ribbeckium trag. lat. reliqu. p. 223 addidisse verbum *nequeo*, quod quanquam in mg. cod. bambergensis legitur, quin ab interpolatore additum sit, cum praestantissimi codices omnes omittant, dubitari non potest. Certissimum vero videtur poetam dixisse:

Qua causa accusem, me exputando evolvere?

nam quae in codd. adduntur, *hunc*, *eum* (sic videtur pro *tum* fuisse), *id*, ex eo genere interpretamentorum sunt, quae innumeris fere locis inveniri notissimum est, ac ne infinitivi quidem in interrogationibus, quae vel cum admiratione vel cum indignatione proferuntur, exempla afferri opus est. Sed cum in hoc versu *accusem* necessarium esse intelligamus, male iudicaverunt primam personam etiam in proximis versibus requiri, cum non tantum in codd. antiquissimis et Cornificii et Ciceronis, sed etiam apud Sulpitium Victorem p. 414, 13 H. et Victorinum p. 253, 12 H in primo pariter atque in tertio versu *accuses* legatur et idem etiam eo confirmetur, quod deinde apud Ciceronem compluries in conversione *accuses* legitur, in confirmatione vero alterius partis §. 84 dicitur: *accusatione tua correctus ab errato recedet.* Quae si vera sunt, hoc unum restat, ut versum tertium emendare studeamus. Ac primum quidem post *quid* videtur *TU* inserendum esse, quod cum propter similitudinem earum literarum, quae sequuntur, EUM, excidisse videretur, de his versibus corrigendis disputari ab hoc loco non alienum esse existimavi. Quae quidem mutatio multo facilior est, quam Ribbeckii, qui praefat. p. XVI *tandem* inseri voluit. Deinde vero legendum esse *qui id parvi auditum aestimet*, vestigia quaedam codd. antiquissimorum ostendunt, id quod C. Halmius iam vidit analect. tullian. fasc. 1 p. 18. Itaque versus illi sic videntur scribendi esse:

Qua caúsa accusem, me éxputando evólvere?
Nam sí veretur, quid eum accuses, qui ést probus?
Sin ínverecundum ánimi ingenium póssidet,
Quid tú eum accuses, qui id parvi auditum aéstimet?

Neque in eis, quae proxime apud Ciceronem sequuntur, cum nunc fere lega-

tur *neget*, qua causa codd. lectionem *negcs* spernamus, evolvi potest exputando. — Quod in hoc loco tractando vidimus, libros ad Herennium et qui sunt de inventione accuratissime per omnia conferendos esse, eo ad alium locum emendandum utar. Namque quod nunc de invent. 1 §. 26 legitur: *Communc* (exordium), *quod nihilo minus in hanc quam in contrariam partem causae potest convenire,* id prorsus falsum esse facile apparet, nam potius in contrariam partem nihilo minus quam in hanc convenire dicendum erat, ut recte Cornificius 1 §. 11 dixit: *Item vitiosum est* (exordium), *quo nihilo minus adversarius potest uti, quod commune appellatur.* Quare apud Ciceronem verba *in hanc quam* delenda esse intelligimus. Ac cum ad hos libros de inventione semel devenerim, hoc unum addo, verba, quibus 2 §. 164 clementia quae sit definitur: *clementia, per quam animi temere in odium alicuius concitati invectiones comitate retinentur* excerptorum cusanorum, quae supra commemoravi, beneficio in integritatem vindicari. Quod supra scripsi, Orellius Garatonii coniecturam secutus dedit, sed Parisinus antiquissimus a pr. m., Angelomontanus, Turicensis *iniectionis concitati*, Trossianus et Par. corr. *invectionis concitati* habent. In quibus quid latuerit, nunc demum apparet, cum excerpta cusana p. 53 haec habere intelligamus: *per quam animi temere in odium alicuius illecti concitatique comitate retinentur,* nisi quod codicum illud *iniecti* antiquitus *inlecti* scriptum fuisse ostendit. *ouis* videtur e dittographia syllabarum *conci* ortum esse. — Bruti §. 69 verba postrema haec sunt: *Sed maiore honore in omnibus artibus quam in hac una dicendi versatur antiquitas.* de quibus miratus sum quod nemo quisquam interpretum recentiorum dicendum existimavit, nisi quod H. Meyer brevissime: „maiore honore fruitur". Sed longe aliam interpretationem G. Bernhardy sequitur, qui Meyeri admonitioni haec addidit: „Apte Wetzelius: ex omnibus quas tractavit antiquitas artibus plus honoris et laudis rettulit quam ex eloquentia". Cum enim ex Meyeri sententia quae antiqua sint in eloquentia non magni haberi Cicero dixerit, Wetzelius et Bernhardy antiquos homines eis, quae in reliquis artibus praestiterint, plus honoris atque laudis invenisse opinantur. Sed hanc explicationem falsam esse et ea ostendunt, quae §. 67 praecedunt: *hi ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur eaque subtilitate, quam atticam appellant, hanc in Catone ne noverunt quidem*, et praesens tempus *versatur*, nam si quod Wetzelius vult Cicero dicere voluisset, non potuisset non *versata est* scribere. Etiam ex eis, quae deinde de pictoribus exponit, apparet sententiam eius hanc esse, ut quae in ceteris artibus antiqua sint, quamvis imperfecta esse intelligamus, tamen hac duritate sua et simplicitate placere et in honore esse dicat, in una eloquentia propter exaggeratam quasi altius posteriorum orationem antiqua contemni et fere ignorari. Quodsi probanda Meyeri interpretatio est, ante v. *maiore* excidisse praepositionem *in* existimandum est, neque enim *honore, maiore honore versari* hanc vim habere potest, ut sit *in honore esse, in maiore honore esse.* Sed pro eo, quod vulgo dicitur *in honore esse*, dici etiam posse *in honore versari* et per se apparet et similiter pro Plancio §. 26 dicitur: *Minturnenses — aeterna in laude versantur.* — Etiam in oratore §. 57, ubi haec sunt: *Est autem etiam in dicendo quidam cautus obscurior,* —

quem significat Demosthenes et Aeschines, cum alter alteri obicit vocis flexiones, Nonii testimonio p. 207, 12 et Iulii Victoris p. 443, 13 H. mihi constare videtur a Cicerone scriptum esse *inflexiones.* In codd. Ciceronis *in* per compendium scriptum propter similitudinem vel literae *F*, quae sequitur, vel compendii syllabae *is,* quae praecedit, excidisse putandum est. — Eodem modo propter similitudinem syllabae proximae in M. Catonis fragmento primo or. de suis virtutibus contra L. Thermum (Iord. p. 43) *in* ante v. *industria* excidit: *Ego iam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam meam abstinui.* — Addam aliam, cum semel *Catonis quae exstant* in manus inciderint, loci ut mihi videtur corrupti emendationem. Gellius 6. 3, 50 haec ex Catonis oratione pro Rhodiensibus excerpsit (p. 25 Iord.): *Rhodiensis superbos esse aiunt, id obiectantis, quod mihi et liberis meis minime dici* (rectissime Iordanus legi maluit *obici*) *uclim. sint sane superbi. quid id ad vos attinet? idne irascimini, si quis superbior est quam vos?* Videntur qui haec intacta reliquerunt cogitavisse a Catone superbiam Rhodiensium tolerabilem, non tolerandam in se et liberis suis iudicari, itaque eam sibi et liberis suis obiici noluisse. Num id credibile est? Superbia enim spirat in omnibus, quae de se vel dixit vel scripsit, superbiam testantur, quaecunque de eo memoriae tradita sunt. Atque Rhodienses eum a superbiae crimine ita defendisse apparet, ut superbiam non vituperandam, sed laudandam esse diceret Romanosque, cum ipsi superbi essent, aliis superbiam obiicere posse negaret. Quare Cato *quod mihi et liberis meis minime obici nolim* scripsisse existimandus est. — Sed etiam de tribus locis aliorum scriptorum, qui paucis quibusdam literis aliarum similibus omissis corrupti esse videantur, breviter disseram. Ac primum quidem de Sallustii verbis Catil. c. 53 *ac sicuti effeta parentum multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit* in diversissimas interpretes partes discesserunt, quorum commenta ferri non posse cum Frid. Ritschelius nuper (mus. rhen. 21 p. 316) perspicue docuisset, quod sententia requirit coniectura restituit: *sicuti effeta vi parentum,* quam quodammodo praeiverat qui in cod. *g* supra versum adscripsit *virtute.* Sed cum *vi* haud facile inter vv. *effeta* et *parentum* excidere potuerit, id ipsum quod Sallustius scripsit ab A. Weidemanno, viro de scholis Meiningensium praeclare merito, inventum esse existimo, qui Vimariae aliquando in sermone familiari Sallustium videri *sicut vi effeta parentum* scripsisse mecum communicavit. Similitudo enim literarum effecit, ut cum *SICUTUI* exstaret *sicuti* exstare videretur, qua forma Sallustium plerumque usum esse codd. praestantissimorum testimonia vincunt, sed *sicut* etiam aliquando admisisse Cat. 37, 5. Iug. 14, 11 *(sicut videtis)* et 94, 3 ostendunt. — Valerius Maximus 1. 1, 17 Potitios narrat interisse, cum Appio Claudio auctore solemnia sacrorum, quae Herculi fecerant, servos publicos docuissent, his verbis: *omnes, qui erant numero super triginta, puberes intra annum extincti sunt nomenque Potitium in duodecim familias divisum prope interiit.* Recte Torrenius in v. *prope* haesit, nam Livius 1, 7 et 9, 29 aliique, qui eius rei meminerunt, prorsus omnes Potitios interisse consentiunt neque aliud Valerius tradere voluit, cum Livii locum posteriorem

secutus puberes omnes interisse diceret. Si, quod Kempfius eum existimasse suspicatur, mulieres et infantes superstites fuissent, omnis narratio illa, qua cur gens Potitia non iam exstaret explicaretur, stare non poterat. Sed neque, quod Torrenius probat, *propere* ferri potest nec, quod U. Köhler (Qua ratione T. Livii annalibus historici latini atque graeci usi sint p. 64) coniecit, *prorsus* admodum verisimile est. Mihi videtur Livius l. d. monstrare, quid Valerius dixerit: nam cum Livius dicat: *traditur — cum duodecim familiae ea tempestate Potitiorum essent, puberes ad triginta, omnis intra annum cum stirpe exstinctos nec nomen tantum Potitiorum interisse, sed censorem etiam — luminibus captum,* Valerium coniicio scripsisse: *nomenque Potitium in duodecim familias divisum cum stirpe interiit* h. e. ita interiit, ut ne stirps quidem relinquèretur, quod in Fabiorum gente aliquando factum esse tradebatur. *cum* propter similitudinem syllabae, quae antecèdit, cum excidisset, etiam *stirpe* corruptum est. — Denique de Velleii 2. 21, 4 explicabo quid sentiam. Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, cum a. 667 (= 87 a. Chr.) haud procul ab urbe cum L. Cinna atroci proelio, sed ancipiti conflixisset et pestilentia pars magna exercitus absumta esset, de caelo tactus interisse ipse a plerisque traditur (Plutarcho Pomp. 1. Appiano b. civil. 1, 68. 80. Orosio 5, 19. Iulio Obsequ. 56), unus Velleius l. d. eum fulmine percussum esse non dicit: *Post hoc, cum utrumque exercitum velut parum bello exhaustum laceraret pestilentia, Cn. Pompeius decessit. Cuius interitus voluptas amissorum aut gladio aut morbo civium paene damno repensata est populusque romanus, quam vivo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit.* ut Drumanno hist. aequal. Cic. 4 p. 323 tradidisse videatur Pompeium morbo decessisse. Sed si consideramus, quae Iulius Obsequens et Plutarchus de corpore mortui a populo male mulcato narrant, ille: *ipse Pompeius afflatus sidere interiit. lectum eius populus diripuit, corpus unco traxit*, hic: *ἐπεὶ δὲ ἀπέθανε κεραυνωθείς, ἐκκομιζόμενον τὸ σῶμα κατασπάσαντες ἀπὸ τοῦ λέχους καὶ καθυβρίσαντες*, dubitare non possumus, quin Velleius eundem cum illis auctorem, hoc est, Livium secutus sit. Ac Velleium ne per negligentiam quidem mortis causam omisisse inde intelligitur, quod verbis *Cn. Pompeius decessit* non addidit particulam *etiam* sive *quoque*, nam ita tantum sperare poterat intellectum iri etiam Pompeium morbo illo pestifero abreptum esse. Quare aut post v. *Pompeius* aut post *decessit* coniicio *de coelo tactus* sive *fulmine ictus* excidisse, cum aut v. *cuius* aut ultima syllaba v. *Pompeius* efficerent, ut oculi librarii aberrarent. Ac quamquam verba praestare non possum, rem tamen ipsam certam esse affirmaverim.

Habete, commilitones humanissimi, tenuem symbolam ad dapem largiter apparatam, ad quam vos indices scholarum huic commentationi subiuncti invitant, et facite, ut hoc vobis persuadeatis, eos qui literis operam suam addicunt in summa varietate et diversitate disciplinarum hoc uno tamen omnes coniunctos esse debere, ut labore indefesso laeti veritate investiganda et tuenda patriae pro viribus quisque suis prodesse studeant.

Scr. in Georgia Augusta d. III. Iulii a. MDCCCLXVII.